

his non servatis *N. Ant. et Cons.* vendi absolute possunt; quia prerogativa et honor eminentiæ præ concivibus, liberale stipendium, occasio lucrandi, etc. ejusmodi officiis adnexa, sunt æstimabilia pretio. At tamen, ut vendantur licite, sequentes, necesse est, conditiones adsint et serventur: prima est, auctoritas in vendente, ut in Republica, Principe; unde præfecti minores officia vendere nequeunt, nisi hoc ipsis fuerit permissum a Principe. Secunda, ut moderato vendantur pretio, ne arceantur minus valentes opibus, si sint digniores. Tertia, ut vendantur, quantum fieri potest, dignioribus; si enim citra acceptionem personarum, aliaque incommoda recensita superius conferri regulariter non possint, nisi dignioribus, multo minus vendi poterunt minus dignis.

*Si dicas 1.* Per *Nov. 8. c. 2. et L. 1. ff. de J. et J.* officia publica non sunt prætio æstimabilia. Item Pius V. in Bulla: *Etsi Romani* anno 1571. absolute hanc venditionem prohibuit.

R. Quoad leges civiles 1°. his non ligantur summi Principes; vel iis derogatum est.

R. 2°. *D.* Non sunt æstimabilia ratione justitiæ administrandæ præcise *C.* hanc enim per se ex officio debet Princeps subditis, sicut iudex alius sententiam: ratione aliorum commodorum adjunctorum, de quibus ante *N.*

Quoad Bullam Pii V. R. Data fuit pro territorio Pontificio; nam constitutiones Pontificiæ circa materiam profanam, extra materiam peccati, non extenduntur extra territorium summi Pontificis. Imo et Romæ huic constitutioni *PIANÆ* consuetudine derogatum esse, ait *KÖNIG* hic ex *GOCKELIO*, quo teste, non obstante Bulla Pii, officium Vicecancellarii, Thesaurarii, Præsidentis Camerae venditum. Simile quid de his et aliis officiis asserit Cardinalis de *LUCA* in *Relat. Cur. Disc. 10. et Disc. 2. de Regalib.*

*Si dicas 2.* Ex hujusmodi venditionibus timenda sunt varia Reipublicæ mala; nam emptores, ut se indemnes servent, possent illicitum quæstum facere, variis artibus extorquendo a subditis pecunias, dum pretium suum recuperent.

R. Etiam similia facta attentata dicuntur ab iis, quibus officium venditum non fuit. Deinde pretium hoc extortum tenentur in conscientia restituere subditis. Demum ex hinc ad summum sequeretur, melius non vendi officia publica; non vero, venditionem ex natura sua peccaminosam esse.

## CAPUT II.

### DE JUSTITIA LEGALI ET VINDICATIVA.

624. Justitia legalis civem tanquam partem ad communitatem seu totum, nimirum hujus procurandum bonum coordinat. Hinc definitur: *Virtus moralis ordinans, vel inclinans partes communitatis qua tales ad procurandum bonum suæ communitatis huic qua tali debitum ex jure alto in bona privatorum.* Unde et in Principe datur, et subdito: in priore quidem, non ut refert

totius personam Reipublicæ sed ut rector est boni publici, et pars principalis, sive caput; ut tale enim ex jure alto æque curare tenetur commune bonum, quam cives reliqui; ac quia hoc Princeps facit imperando, in eo justitia legalis est *imperative*: in subditis non nisi *executive*. Jus vero illud, vi cuius pars quævis Reipublicæ huic suum tribuit, minus rigorosum est, ac passim dicitur generale, legale, altum: priore quidem modo, quia ad commune bonum; sicut leges, tum per leges ordinatur: *altum* vero; quia supereminet particularibus privatorum juribus, iisque derogare potest; Respublica enim jus quoddam habet superioris ordinis in bona civium, eorumque jura, ut iisdem, urgentibus causis, ad felicitatem communem uti possit; quin pro necessitate etiam corpora periculo objicere. Ex hisce liquet, justitiam legalem obligare ad servandas leges, ferenda Reipublicæ onera, solvenda tributa, vectigalia; Principem vero ad eadem, servata proportione, imperanda, cum justa causa exegerit. Vindicativa justitia (quam quidam ad legalem reducant) est *virtus ordinans eum, qui curam communitatis habet, ad proportionatam punitionem delictorum.* Plenius hæc patebunt ex sequentibus.

### ARTICULUS I.

AN ET QUANDO RECTE EXIGANTUR TRIBUTA, ALIAQUE COMMUNIA ONERA? QUÆQUE ILLA PRÆSTANDI OBLIGATIO?

625. *Proœmium.* Tributi nomen passim accipi pro omni eo solet, quod penditur Reipublicæ vel Principi a privatis. Specificè vero est pensio, quæ imponitur facultatibus, vel proventibus subditorum, ab his solvenda Reipublicæ vel Principi ad sustentandum competentem statum suum, oneraque Reipublicæ. Hinc differt a *vectigali*, quod est certa pensio solvenda pro rebus vel invehendis in urbem, aut provinciam; vel inde avehendis: etiam *portorium* dici solet; cui affine est, quod rerum venditarum, permutatarum occasione datur. Differt a *pedagio*, vel *quidagio*, quod a transeuntibus equo, curru, navi, etc. solvi solet pro pontium, viarum conservatione, securitate. Præterea Jurisconsulti onera præstanda Principi dividunt in *realia*, quæ jumentis, plaustris, etc. fiunt; tum *personalia*, quæ a subditorum personis præstantur exhibendo servitia, comitando ad bellum, etc. ac *mixta*, quæ ex realibus, ac personalibus constant.

626. *Dico I.* Tributa, vectigalia, ac quæcumque exactiones ut juste imperentur, tres requiruntur conditiones: auctoritas imperantis; causa justa; forma, sive debita proportio: quæ declarantur.

1°. *Auctoritas imperantis*, id est, summi Principis, vel magistratus, qui suprema cum potestate Reipublicæ præsumt; in hos enim solos populus immediate transtulit potestatem gubernandi, iisque se adstrinxit ad præbenda stipendia justa ad tuendam dignitatem ac Reipublicam. Si quid proinde præfecti subordinati, gubernatores, civitates subjectæ exigant a populo; vel hujus consensus liber, vel facultas Principis adesse debet: secus injuste fiet, ac restitutioni subjectum erit.

Ac quidem, quantum ad *vectigalia*, observandum est, per leges funda-

mentales Imperii, quo promoveatur facilitas commercii, ac mercium impediat caritas, gravissime prohiberi Statibus, ne vel vetera vectigalia augeant, vel erigant nova. Id sub pœna banni prohibuit RUDOLPHUS I. in constitutione data Herbipoli anno 1287. Quod confirmatur in Bulla aurea anno 1356. aliisque I. R. e quibus Spirensis anno 1576. §. 120. jubet invigilare diligenter Circulorum præsides, an in eorum Circulis a quodam Statuum hac in re delinquatur. Quin per repetitas capitulationes cæsareas, nequit Imperator sine consensu vicinorum Statuum, et Electorum *unanimes*, dare cuiquam Statui privilegium sive augendi vectigalia antiqua, sive nova constituendi, *Capit. CAROLI V. art. 18. FERDIN. I. art. 17. FERDIN. III. art. 20. FERDIN. IV. art. 19. LEOPOLDI I. art. 19. JOSEPHI I. art. 20. CAROLI VI. art. 8., etc. Adde Instrum. pacis Cæs. Suec. art. 9. §. 1.*

2°. *Causa justa*, quæ duplex assignari solet: prima ad sustentandam competenter majestatem Principis cum aula et ministris; cum enim Princeps laboret pro communi bono Reipublicæ, exigit vicissim justitia, ut hunc pro dignitate Reipublicæ sustentet. Altera et ordinaria est bonum publicum, ejusve necessitas, velut ad conscribendum militem, arcendum hostem, instauranda ædificia publica, vias publicas et similia. Cessante tamen causa, etiam justitia tributi specialiter ob eam causam impositi cessat.

3°. *Forma*; sive ut habeatur ratio ac proportio facultatum; unus non gravetur præ altero, sed plus contribuat, qui majorum est facultatum: uti enim honores distribuendi sunt æqualitate proportionali pro majore, vel minore dignitate; sic dividenda etiam onera pro facultatibus subjectorum, ut, qui plus valet, plus ferat; cum secus committeretur acceptio personarum. Deinde ut habeatur proportio necessitatis, sive exactio non sit major, quam necessitas.

627. *Dico II.* Subditi in conscientia ex justitia obligantur ad solvenda tributa et vectigalia justa.

*Prob. I.* Auctoritate S. Scripturæ. Ad Rom. 13. v. 6. et seqq. jubet Apostolus reddi tributa et vectigalia: *Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal;* ubi ait Apostolus tributum esse debitum Principi, ac ex justitia, quia bono communi servit: *in hoc ipsum servientes.* Unde et Christus jubet Matth. 22. v. 21. de censu et vectigalibus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

*Prob. II.* Ratione. Tributa, vectigalia et similia debentur Principi non solum ex justitia legali, quæ partes tenentur concurrere ad bonum totius; sed etiam ex justitia commutativa: populus enim transferendo administrationem et curam supremam in Principem, eo ipso se tacite obligavit ad solvendum ipsi stipendium conveniens, et congruum subsidium; quod cum ex pacto nec taxatum sit, nec ob necessitates varias, quæ occurrere possunt, taxari potuerit; Principis est pro Reipublicæ exigentia et circumstantiis determinare quantitatem; ergo, ea determinatione justa de causa facta, tenentur subditi ex justitia tributum imperatum solvere, ac restituere defraudatum. Nec refert, quod tributum lege imperatum non exigatur; nam, spectata natura debiti, nihilominus solvi debet; debitum enim solvi debet, non quia exigitur, sed quia est debitum.

628. *Dices 1°.* Lex tributorum pure pœnalis est, ergo ante sententiam judicis in conscientia non obligat.

R. N. *Ant.* Lex tributorum specificè talium nititur, et fundatur in justitia commutativa, orta ex contractu tacito Principem inter et subditos, quo se ille obligavit ad regendam, tuendamque Rempublicam; hi vero ad præstandam pensionem competentem. Dixi: *lex tributorum specificè talium*; non enim cum hac confundi debent leges prohibentes importari in provinciam certas merces, vulgo *contrebandes*, circa quas disceptatio est, merene pœnales sint, nec ne? Affirmat sententia communior; tum quod et timorati, prohibique sine peccati scrupulo merces ejusmodi, ut vinum, tabacum, etc. emant; tum quod redemptores plerumque imposita mulcta contenti sint; ac si quid inde enascatur damni redemptoribus, per gravem sæpe impositam mulctam, quod non raro accidit, in triplo compensetur.

*Dices 2°.* Leges tributorum et vectigalium plerumque non constant verbis præceptivis; vel si præceptivæ sint, sunt tamen simul disjunctivæ, præsertim ratione *vectigalium*, dicendo: sancimus, ut quilibet vectigal pendat; aut si neglexerit, cadat in commissum.

R. Quoad leges tributorum specificè talium, quibuscumque illæ verbis constant, solvi ea tributa debent; quia debentur ex justitia. Probabilijus par ratio est de vectigalibus ac pedagiis, quæ cum illis nunc sæpe confunduntur; imponunt enim ea Principes partim titulo Imperii, ut ærario consulant, ac sustinendis sumptibus publicis melius sufficiant: tum quia Principes reparationem viarum, pontium, in se non sine magnis expensis suscipiunt, item securitatem præstant viarum per conductos milites; quæ non tenentur subire gratis; ac non æquum foret, omnia hæc eorum præcise subditorum expensis fieri, qui negotiationi non vacant, nullum inde lucrum habent. Juste igitur ab iis quid exigitur, qui inde lucrum percipiunt, ut hoc compendio tantum onus pensetur.

*Dices 3°.* Dubium merito est, utrum hodierna tributa, et vectigalia omnia justa sint; adeo enim nunc aucta et multiplicata sunt; ergo bona conscientia defraudari possunt: in dubio enim tali videtur in possessione esse immunitas subditorum a tributo. Ita S. ANTONIN. CAJETAN. PETRUS NAVARR. ac alii.

R. Cum SYLVIO cæterisque plurimis, *T. A. N. Cons.* Postquam populus potestatem summam gubernandæ Reipublicæ in Principes transtulit, eique se adstrinxit ad ministranda subsidia, ac consequenter jus, ea determinandi, Principi reliquit, dici non amplius potest, in dubio immunitatem populi esse in possessione. Sic Jurisconsulti passim ex eodem nostro principio tradunt, in dubio, an lex lata justa sit, nec ne, præsumptionem esse pro legislatore. Et vero si in tali dubio judex statuatur populus, quid tandem sequetur? Quid facilius, quam, cum leges plurimæ palato subditorum non arrideant, de earum dubitare justitia, sicque ab observantia legis, obedientia Principi debita se subtrahere? Hinc colligitur simul, quare dictum: *T. A.*

*Si dicas* cum recentiore, in tali dubio esse duntaxat solvendum pro rata dubii.

R. Quomodo populus discernat, quantum debeat in dubio, nec ne? Quid

populo promptius, quam negare tandem penitus, subesse justam tributo causam.

*Si instes cum eod.* Adeat prudentem ac religiosum virum, ex quo discat, quantum in dubio debeat solvere.

R. Cum modo Princeps in possessione sit ex dictis, ejusque jus determinandi tributa et vectigalia certum sit, non pendet ab ullo alio, quid quantumve debeat solvere populus.

Quæri hoc loco solet a Theologis, an Ecclesiæ, personæ resque Ecclesiasticæ a tributis, vectigalibus, cæterisque Principum secularium exactio- nibus immunes sint? At cum de hoc jam actum *Tr. de Legib. cap. 4.* illuc lectorem remitto.

## ARTICULUS II.

AN POSSIT JUDEX CAPITALIS CRIMINIS REO, ETIAM HOMICIDII VOLUNTARI ET DOLOSI FACERE VITÆ VENIAM, SIVE AN ET QUANDO LOCUM HABEAT JUS, VEL POTESTAS AGGRATIANDI?

629. *Dico I.* Judex inferior, sive qui superiorem habet, per se loquendo tenetur infligere pœnam, a lege, consuetudine, vel statuto determinatam; ut nec gratiam vitæ, vel aliam facere possit. Communis Theologorum et Jurisconsultorum cum Doctore Angelico 2. 2. Q. 67. a. 4. in 0, Ac sumitur ex *L. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill. Nov. 82. c. 40. aliisque*: tum *C. 3. Dist. 4.* quo jubetur judex judicare secundum leges, non de legibus, quæ pœnam delictis proportionatam jam determinarunt, *C. 16. de Majorit.* vi cujus inferiori nulla permittitur potestas immutandi superioris legem.

*Ratio* est, quod judex inferior non minus teneatur implere leges infligendo pœnam ab his statutam, quam reus, sustinendo sibi inflictam. Igitur nec mitiorem, nec graviorem, quam sit decreta, potest pœnam *per se* infligere.

*Dixi per se*; nam potest per accidens mitigare, vel exasperare pœnam, si adsint causæ mitigandi, vel exasperandi; ipso id concedente jure *L. 13. §. 7. ff. de his, qui not. infam. L. 16. 28. penult. ff. et L. 16. 23. C. h. t.* Mitigandi causæ plerumque ex parte rei sunt; velut, si impubes, vel minor, sibi non satis præsens; repentino furore vel iræ æstu: si simplex patrarit delictum: si ob moram judicis diuturno emaceratus fuerit carcere: si perduellionis, aut criminis contra majestatem complex rem detegat; quo casu plena promittitur condonatio *L. 5. §. fin. C. ad L. Jul. Maj.*: si post delictum diu et constanter honeste vixerit: si de Republica sit bene meritus: si crimen solum attentatum fuerit, non perfecte consummatum: si dubium sit, fueritne delictum plene deliberate admissum; vel an et qualis pœna a jure decreta sit; quia regulariter judex in infligendis pœnis partem mitiorem sequi debet, *L. 11. 42. ff. h. t.* Causæ exasperandi pœnam sumuntur a delicti circumstantiis, *loci*, si e. g. in loco sacro, in conspectu Principis, vel superioris admissum facinus; *modi*, si ex insidiis, proditorie quis occiderit alterum; *personæ*, contra quam delictum est, ut, si contra Principem, superiorem, sacerdotem, parentes; *frequentationis delicti*, si iteratum fuerit; ac similibus.

630: *Dico II.* Potest tamen Princeps supremus facere, absolute loquendo, cuilibet reo gratiam, non solum remittendo pœnas minores, sed etiam mortis; ac in casu homicidii voluntarii et dolosi.

*Pars 1<sup>a</sup>.* est communis Doctorum assertio; cum enim supremus Princeps legibus suis non ligetur, penam a legibus decretam remittere potest; non solum, si minor sit; sed etiam, si capitalis.

*Pars 2<sup>a</sup>.* de homicidio *prob.* contra CARPZOV. pluresque, protestantes maxime, et Theologos paucos, ratione fundamentali. Nullo ex jure ostendi potest, a jure aggratiandi, quod summis Principibus omnium consensu competit, excipi casum homicidii dolosi; ergo etiam quoad hunc jus aggratiandi habere locum potest. *Prob. Ant. ex jure naturæ*; nam etsi jus naturæ exigat, delicta non manere prorsus impunita; modum tamen puniendi, sive pœnam ipsam jus naturæ non determinavit, nec determinat. Et vero quomodo determinare posset, cum delicta ejusdem generis minima accedente circumstantia plurimum varient? Certe antequam legum conditores homicidis determinarent pœnas mortis, gladii, rotæ, etc. non erat obligatio quemquam eo modo plectendi; hancque ignorabant gentes plurimæ, utut exultæ moribus. Id ex earum legibus intelligitur: *L. 3. ad L. Cornel. de Sicar.* inquit: *Legis Corneliæ de sicariis, et veneficis pœna in insulam deportatio est, et omnium bonorum ademptio. Sed solent (N. B.) hodie capite puniri, nisi honestiore loco sint positi, quam ut pœnam legis sustineant: humiliores enim solent bestiis subjici; altiores vero deportantur in insulam;* ergo Romani ignorabant hanc obligationem juris naturæ. Sic et lege salica *Tit. 44. §. 1.* ingenuus hominem Francum, aut barbarum occidens, octo mille denariis, id est, solidis ducentis multari præcipitur; quod in eadem lege salica reliquit CAROLUS M.: lege Saxonum, qui nobilem occidisset, pendendi injungebantur solidi 840.: lege Scotorum WILHELMII regis cap. 7. homicida jubetur dare 29 vaccas, unamque jüvenecam, ac pacem facere cum parentela defuncti. Adde, olim usque adeo homicidas jure asyli, lege tum imperatoria, tum ecclesiastica, immunes fuisse omni capitali pœna: taceo id genus plura. Mirum vero, si jus naturæ præciperet homicidas plecti capite, hoc jus naturæ usque ad conditas nostras leges positivas a plerisque ignoratum fuisse.

Sed neque 2<sup>o</sup>. *ex jure divino*; tale enim pro lege nova afferri non potest. Nec demum 3<sup>o</sup>. *ex jure positivo humano*; si quid enim a THEODOSIO, JUSTINIANO, CAROLO V. in Nemesi de plectendo capite homicida statutum, imprimis non ligat omnes Principes summos, qui in regnis suis illorum Imperatorum legibus non tenentur. Deinde leges Justiniani non obligant in Germania nisi ex recepto, nec ubique in eadem toto in rigore recepta est Nemesi Carolina: ac demum, etsi recepta sit, tam hæc, quam leges aliæ imbibitam gerunt conditionem: nisi Princeps pro jure suo gratiam vitæ fecerit.

631. *Dixi 1<sup>o</sup>. Princeps supremus*: Idem tamen jus aggratiandi, vel mitigandi pœnam sive ex privilegio, sive consuetudine, sive vi jurisdictionis territorialis Statibus imperii competit. 2<sup>o</sup>. *Absolute loquendo*; licet propterea non debeat facile remittere pœnam omnem ex integro; tum quia obligatio puniendi aliquo saltem modo indeterminato fundatur in jure naturali,

quod tamdiu stringit, quamdiu ratio et convenientia aliud non permittit; tum quia nimia indulgentia fovet scelera, præbetque ansam delinquendi. Nec jure aggratiandi, quoad pœnam capitalem, nisi moderate admodum, uti oportet, ne sceleris impunitas ad sequelam trahat alios. Imo passim utendo jure aggratiandi peccare potest Princeps graviter in Rempublicam; cui se obligavit ad præstandam securitatem, quantum potest, in vita, bonis, etc. adeoque ad tollendos Reipublicæ noxios, facinorosos homines; qui non satis cohiberentur metu mitioris tantum pœnæ, si pœnæ capitalis sit facilis condonatio.

622. *Obj. I.* Tenetur, quicumque cum summo imperio præest Reipublicæ ex pacto primævo cum Republica inito, ad ejus procurandam tranquillitatem et securitatem adhibere media necessaria, ac proinde in illius violatores condignis pœnis animadvertere, ut ab his nihil metuendum sit Reipublicæ; ergo jure naturali obstringitur Princeps, criminis capitalis reos punire pœna capitali, maxime homicidas; quia nihil publicæ securitati ita contrarium, quam occidendi facultas. *Conf.* Et vero homicidam voluntarium esse pœna capitali plectendum ipsa naturalis ratio videtur insinuare; ex naturæ enim dictato, ut ait in hunc locum *GROR. Tit. A. Crit. Sacr. Cainus, occiso fratre, inferebat: Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Gen. 4. 13.

*II.* Homicidam voluntarium occidendum esse, jus divinum statuit; ergo, hoc casu, non est locus juri aggratiandi; cum, quacumque potestate gaudeat summus Princeps, juri tamen divino semper est, et manet subditus. *Prob. Ant. Gen. 9. 6.* ait Altissimus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quæ lex renovatur *Exod. 21. v. 12.* et seqq. ac *Num. 35. v. 16.* *reus homicidii, et ipse morietur;* perque sequentes textus diserte prohibetur, ne multa pecuniaria exigatur ab homicida; sed statuitur, quod ipse debeat mori.

*III.* Adstipulatur lex nova non obscure *Matth. 26. v. 52.* *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Apertius ex *Apoc. 13. v. 10.* *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* ergo.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. Simpliciter; vel ad summum *D. Cons.* Si alio modo procurari tranquillitas et securitas non posset *C.* si possit, uti alio modo procurari adhuc potest *N.* Vi pacti primævi cum Republica inito tenetur Princeps Reipublicæ, quoad potest, procurare tranquillitatem, et securitatem in vita, et bonis; sed non tenetur per unum determinate medium vi ejus pacti; ubi enim pactum illud? Cum igitur mediis, et pœnis aliis, quam capitali, possit eundem obtinere finem; non obligatur eundem procurare præcise infligendo pœnam capitalem. Aliud foret, si alio medio jam moraliter ille finis haberi non posset; sed propterea jam diximus, uti pœna non debet facile remitti ex integro, sic jus ipsum aggratiandi esse moderate usurpandum. Pariter ex jure naturæ antecedenti etsi inferatur, delicta puniendi esse; determinatus tamen puniendi modus ex eo inferri nequit.

*Ad Conf. R. 1<sup>o</sup>.* At nihilominus Deus Cainum occidi severe prohibuit. *Ibid.*

*R. 2<sup>o</sup>.* Inde ad summum sequitur, non inique agere Principem, interficiendo homicidam; minime vero, quod interficere vi præcepti naturalis debeat.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. Leges judiciales testamenti veteris per Christum abolitæ sunt, neque nunc amplius stringunt; ergo inepte illæ huc afferuntur.

*Ad 3<sup>am</sup>.* *N. ass. Ad prob. R.* Christum hæc dixisse ad mentem legum judicialium Judæorum, quæ tum temporis, nondum promulgata lege nova nondum erant abolitæ, ut sensus sit: *Lex vult, ut, qui occiderit gladio, similiter occidatur;* ut dicitur *cit. loc. in object. 2<sup>a</sup>.* præsertim *Num. 35. 16.* *Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii, et ipse morietur.* Estque is obvius verborum Christi sensus. Non igitur hic fertur lex nova observanda in lege evangelica.

*Ad Conf. N. Cons.* Non enim hic sermo est de modo in judiciis humanis observando; sed juxta litteram ibi consolatur, erigitque servos Christi propter hunc vexatos, ut patientes persecutiones sperent, ipsos liberandos esse; malis intentatis e contra in auctorum capita Dei judicio redundaturis; postquam enim dixisset: *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* tum subdit: *hic est patientia, et fides Sanctorum.*

## ARTICULUS III.

POSSITNE JUDEX JURIDICE PROBATUM REUM, QUEM TAMEN PRIVATA SCIENTIA SCIT INNOCENTEM, CONDEMNARE IN CAUSIS CRIMINALIBUS?

633. In hac controversia convenit inter omnes, judicem eo casu teneri ex justitia, tentare media licita omnia ad liberandum innocentem, inveniendos causas ad repellendam accusationem injustam; summa dexteritate examinando testes, dum dissentientes faciat exemplo Danielis, dissimulando custodiam carceris; remittendo causam ad superiorem judicem, etc. verbo: præstando, quæ potest, ne opprimatur innocentia. His vero nihil proficientibus, queritur, debeatne, ac possit tunc condemnare probatum reum, quem scit innocentem? Affirmativam sententiam passim amplectitur schola Doctoris Angelici. Negativam in causis *criminalibus majoribus*, ubi de pœna mortis et mutilationis agitur, tuentur *LESS. LAYM. HAUN. PYRRH.* aliique, non tamen in *minoribus*, ubi de sola exilii pœna vel afflictiva duntaxat corporis, privatione officii, etc. agitur, nec in *civilibus*. E contra rursus utrobique negant *ABB. KOENIG. GORM. PICHLER;* quibuscum

634. *Dico.* Nulla in causa tenetur, aut potest judex condemnare juridice probatum reum, quem scientia privata scit esse innocentem.

*Prob.* Nullum jus, sive naturale, sive divinum, sive humanum dat facultatem judici, condemnandi probatum reum, quem scit, esse innocentem; sed potius id prohibent jura singula; ergo.

*Prob. Ant. 1<sup>o</sup>. de jure naturali.* Jus naturale, ipsaque justitiæ natura, tam commutativæ, quam vindicativæ exigit æqualitatem et proportionem inter solutionem et obligationem, pœnam et culpam: sed nulla est æqualitas inter solutionem veram et obligationem nullam; nulla proportio inter pœnam veram et culpam nullam; ergo.

*2<sup>o</sup>.* Nec jus divinum hoc permittit; ubi enim tale extat? Certe si scrutemur jus divinum *V. T.* contrarium reperimus *Exod. 23. v. 1.* *Non suscipies vocem*